

**B e r i c h t**  
über  
**das Altstädt. Gymnasium**  
zu Königsberg in Pr.  
von Ostern 1849 bis Ostern 1850.

Womit zur  
**öffentlichen Prüfung der Schüler aller Classen**

am  
**25. März Vormittags von 8 Uhr und Nachmittags von 2 $\frac{1}{2}$  Uhr an**  
und  
**am 26. März Vormittags von 9 Uhr ab**  
zugleich im Namen der Lehrer der Anstalt

ganz ergebenst einladet

der Director des Gymnasii


**Dr. Johann Ernst Ellendt.**

Voran geht eine Abhandlung von dem Gymnasiallehrer Dr. **Bender:** de intercessionem  
tribunitiam. Particula posterior.

---

**Königsberg, 1850.**

Gedruckt bei E. J. Dalkowski.



## Ordnung der Prüfung.

### Montag den 25. März, Morgens von 8 Uhr ab:

Quarta: 1. Mathematik. Schumann.

2. Geschichte. Dr. Möller.

Quinta: 1. Latein. Gryczewski.

2. Naturkunde. Schumann.

Sexta: 1. Latein. Dr. Richter.

2. Geographie. Müttrich.

Tertia B.: 1. Griechisch. Retzlaff.

2. Geometrie. Schumann.

### Nachmittags von 2 $\frac{1}{2}$ Uhr ab:

Tertia A.: 1. Griechisch. Dr. Nitka.

2. Geschichte. Dr. Möller.

Secunda: 1. Latein. Dr. Kraß.

2. Geschichte. Dr. Bender.

### Dienstag den 26. März, Morgens von 9 Uhr ab:

Prima a.: 1. Griechisch. Der Director.

Prima a.: 1. Mathematische Geographie. Müttrich.

2. Französisch. Dr. Kraß.

Nach der Prüfung erfolgt die Entlassung der Abiturienten durch den Director. Zum Schlusse wird der Singschor des Gymnasii unter Leitung des Musikdirectors Sobolewski einige Chöre aus Händels Judas Maccabäus und aus der Antigone comp. von Mendelssohn vortragen.

## De intercessione tribunicia.

Quum de intercessione tribunicia, abhinc annos octo, pauca scripsissem, sub finem opusculi illud potissimum restare dixi, ut de appellatione tribunorum in judiciis publicis, de edictis tribunicis, de intercessione tribunorum adversus tribunos collegas exponeretur. Hodierno igitur die, quum ad tribunos plebis redire mihi liceat, primum quaerendum videtur, num, quod ego quidem interruptum atque imperfectum tum reliqui, ab aliis forte exceptum et ad finem quandam perductum sit. Sed quamquam et W. A. Beckerus<sup>1)</sup>, et complures alii docti viri multa et egregia de tribunis plebis passim scripserunt, tamen, quas quaestiones ego supra significavi, eas nemo, quod sciam, ad tractandum sibi proposuit: ut rem haud ingrati fore putem, si, quae per longum temporis spatium de intercessione tribunicia annotare perrexi, in medium tandem protulero.

### §. I.

#### De appellatione tribunorum in judiciis publicis.

1. In quarto prioris meae dissertationis capite rarum fuisse affirmavi, ut in causis privatis tribuni plebis adversus praetorem appellarentur; idque ex eo colligendum putavi, quod pauca tantum exempla superessent, quibus tribunos pl. decretis praetoriis intercessisse probari posset. Quod etsi non nesciebam parum firmum esse argumentum, satis tamen esse videbatur ad refellendas et Sigonii et Rubinonis eas sententias, de quibus isto loco fusius dictum est. Jam vero, quum in eo sit, ut de appellatione tribunorum pl. in causis publicis disputem, protinus majoribus me difficultatibus irretitum sentio. Nam quod Rubino (p. 28), nullam discrimen faciendum ratus, etiam populi judicia tribunorum pl. potestati subjecta fuisse contendit, hoc quidem eum injuria fecisse pro certo habeo; sed in tanta

<sup>1)</sup> W. A. Becker, Handbuch der röm. Alterthümer, II, 2 A. pag. 247—291.

testimoniorum et argumentorum cum tenuitate tum ambiguitate qui poterit fieri, ut quod mihi quidem probetur, id aliis persuadeam? Verum, quum fortiter incipientes fortuna saepe adjuvet, rem tentabo atque inde proficiscar, quod inter omnes constat, jam priusquam quaestiones perpetuae instituerentur, causas publicas non omnes ad populum delatas, sed saepius id, quod in comitiis maximis proprie decerni debuerit, iudicio extraordinario commissum esse, ea conditione, ut ad populum provocari liceret<sup>2)</sup>. Itaque quum duplex quaestio proponenda sit, primum erit exponendum, quid tribunis pl. facere licuerit, si de causa ipse populus aut iudicaret, aut jam iudicasset; deinde, quid iidem tribuni fecerint, si de causa publica vel praetor, vel iudex, qui dicebatur, quaestioni decrevisset.

Atque ad id quidem, quod priori loco quaesitum est, haec respondeo. Si qua causa recta via, ut ita dicam, ad populum erat delata, et populus, cognita causa, iudicium jam fecerat, tum ne tribuni pl. quidem sua potestate poterant facere, ut iudicium populi labefactaretur vel tolleretur; sed, quod iudicatum erat, id ratum habebatur, nisi forte ipse populus, denuo ad concionem a tribunis pl. convocatus, aliter postea sentiebat. Haec mea sententia eo, quod Rubino ex Gell. N. A. VII, 19 attulit, exemplo confutari nequit. Nam cum C. Minucius Augurinus tribunus pl. L. Scipioni per suffragia populi multam irrogasset, P. Corn. Scipio non idcirco tribunos pl. appellavit, ut populi iudicium rescinderent, sed ut ipsius fratrem, praedes non dantem, a collegae vi prohiberent; atque cum, recusantibus ceteris tribunis, unus Tiberius Gracchus virum consularem in vincula duci non esset passus, hac ipsa intercessione L. Scipio a vi ita prohibitus est, ut iudicatum tamen persolvere et populi iudicium ratum habere coactus sit. Hinc igitur apparet — quod quidem jam ex se intelligitur — tribunis pl. intercedere licuisse, si cui homini injuriam fieri putarent ab iis, qui iudicium populi exsequerentur; sed non apparet, ipsum iudicium a tribunis pl. reprehensum et sublatum esse; neque ulla causa mihi nota est, in qua tribuni id, non dicam, fecerint, sed fecisse modo videantur.

2. Sed quum ab hac parte potestatem tribuniciam certis finibus circumscriptam videamus, illud latissime patebat, quod in comitiis, prius quam populus suffragia tulisset, tribuni pl. facere solebant. In his enim tribuni ei, qui se appellasset, poterant auxilio esse, ne causam diceret, impediendoque rem eo facile adducebant, ut, quamvis multis repugnantibus, infecta re comitia dissolverentur. Hac potestate fretus Ti. Semp. Gracchus tribunus pl. de auxilio P. Scipioni ferendo ea potuit praedicare, quae supra (partic. I, pag. 14) commemoravimus; hac eadem potestate munitus Baebius tribunus pervicit, ut Jugurtha rex, quum C. Memmius, eum respondere jussisset, taceret, et iratus populus, ludibrio habitus, ut Sallustius dicit, ex concione discederet<sup>3)</sup>.

<sup>2)</sup> Cf. Rein, Criminalrecht der Römer, pag. 57 et 59.

<sup>3)</sup> Sallust Jug 30. Memmius Jugurtham jubet respondere, Baebius tacere, i. e. Baebius intercedit, ne J. respondeat: ἔστι δὲ τοῦ κωλύοντος ἐν τοῖς δημόχοις τὸ κράτος Plut. Tib. Gracch. 10. cf. part. I, pag. 14. et quae infra dicuntur pag. 8. Praeterea vid. Gell. IV, 14: *A. Hostilius Mancinus aedilis curulis fuit. is Mamiliae meretrici diem ad populum dixit, quod de tabulato ejus noctu lapide ictus esset. Mamilia ad tribunos plebei provocavit. tribuni decreverunt: aedilem ex eo loco jure dejectum, quo eum venire — non decuisset: propterea, ne cum populo aedilis ageret, intercesserunt.*

3. Paulo aliter res sese habuisse videtur, quam non apud populum in comitiis, sed apud praetorem vel apud alium quendam quaesitorem causa publica agebatur. Tum enim non id solum fiebat, ut, qui postulatus esset, in auxilium tribuniciam confugeret, ne causam diceret (cf. Liv. IX, 26), sed ne illud quidem prorsus inauditum erat, ut is, quem iudices jam condemnassent, non ad populum statim provocaret, sed tribunos potius appellaret, et tribuni pro sua potestate iudicium si non rescinderent, certe impedirent. Quod qua ratione potuerit fieri, ex illo intelligitur exemplo, cujus Acon. in Cic. Mil. 14. mentionem facit, et de quo ego ipse jam supra part. I. pag. 18. plura locutus sum. Pompejo enim — ut gravissima repetam, quoniam huc maxime pertinent — Pompejo inimicitiae cum P. Clodio intercesserant: hinc, quum III Idus Sextiles Pompejo in senatum eunti servus Clodii obviam factus esset, cui sica forte excidit, rumor serpebat, servum istum a Clodio jussum esse Pompejo insidiari. „Pompejus“, ait Asconius, „statim domum rediit et se domi tenuit. Obsessus est etiam a liberto Clodii Damione, ut ex actis ejus (anni) cognovi, in quibus XV Cal. Septembris L. Novius tribunus plebis, collega Clodii, cum Damio adversus Flavianum praetorem appellaret tribunos, et tribuni de appellatione cognoscerent, ita sententiam dixit: *Et hoc apparitore P. Clodii vulneratus sum, et hominibus armatis praesidiis dispositis a re publica remotus sum; Cn. Pompejus obsessus est. Quum appeller, non utar ejus exemplo, quem vitupero, et iudicium tollam*: et reliqua de intercessione.“ — Si ex actis publicis igitur, in quibus de intercessione tribunorum pl. scriptum erat, Asconius cognovit, a Damione Pompejum obsessum esse, hoc argumento videtur esse, Damionem ob id ipsum, quod Pompejum obsedisset, et quod eos, qui, velut Novius tribunus pl., ad liberandum Pompejum accesserant, fugavisset, de vi publica postulatum fuisse. — In quo periculo Damio eo minus dubitavit adversus decretum praetorium a tribunis auxilium petere, quod praevidit, P. Clodium, cujus libertus erat, quorum consiliorum ac facinorum similitudo eum conjunxerat, ex quo totus denique pendebat, intercessurum esse. Neque Clodius ei defuit: id quod colligitur ex verbis Novii: *non utar ejus exemplo, quem vitupero, et iudicium tollam*, quibus verbis P. Clodium significatum esse apertum est.

4. Ceterum, dum haec scribo, non sum nescius, de hoc appellationis genere aliter iudicare Ciceronem. Is enim in Vatinium (cap. 14) hisce verbis invehitur: „*Quaero ex te, edixeritne C. Memmius praetor, ut adesses die tricesimo? Cum is dies venisset, fecerisne, quod in hac republica non modo factum ante numquam esset, sed in omni memoria sit omnino inauditum? appellarisne tribunus plebis, ne causam diceres?*“ Et paulo infra: *quaero ex te, Vatini, num quis in hac civitate post urbem conditam tribunus plebis appellavit, ne causam diceret?* —

Ad haec quam velim dicat mihi aliquis, quae Vatinius responderit. Tanta enim fuit interrogationis impudentia, ut haud multum abfuisse putem, quin Cicero adversarium obstupefactum vi verborum prosterneret. Sigonius certe, cui haec

Neque non huc pertinet, quod Valer. Max. narrat VI, 1, 7: *M. Claud. Marcellus, aedilis curulis, C. Scantinio Capitolino, tribuno pl., diem ad populum dixit, quod filium suum de stupro appellasset: eoque asseverante, se cogi non posse, ut adesset, quia sacrosanctam potestatem haberet, et ob id tribuniciam auxilium implorante, totum collegium tribunorum negavit, se intercedere, quo minus pudicitiae quaestio perageretur. Citatus itaque Scantinius reus uno teste, qui tentatus erat, damnatus est.*

quoque verba Ciceronis plurimum ponderis habere visa sunt, se prosterni passus est. Namque in ista Ciceronis verba juratus prorsus negat (de judic. II, 10) in judiciis publicis tribunos pl. appellari licuisse. Verum tamen quamquam etiam apud me plurimum valet Ciceronis auctoritas, in hac tamen re non possum facere, quin ab eo dissentiam. Quid enim? Numquamne post urbem conditam tribuni pl. appellati erant, ut, si quis iudicium publicum ob causam nescio quam metueret, intercederent? Quis credet, si rerum a populo Romano gestarum monumenta per- lustraverit? At Cicero ita dixit. Quum igitur non sit verisimile, Ciceronem memoria lapsum esse, vix poterit dubitari, quin is de industria a vero discesserit, et quod rarum vel non ita quotidianum fuerit, id „*novum et non ferendum*“ vocare maluerit. Sin autem reperiantur, quibus id, quod de Cicerone fecimus, iudicium vel injustum, vel severius certe et acerbius videatur, quique negent tantum in eo fuisse temeritatis ac petulantiae, ut ab iis, qui circumstarent et audirent, potuerit postulare, ne scirent ac meminissent, quae nescire et oblivisci difficile esset; his aliam interrogationis Ciceronianae interpretationem proponam. Primum enim memoria velim repetant, Vatinius, posteaquam fuerit postulatus, ex legatione rediisse, et gloriantem dicitatasse, se, quum potuisset iudicium defugere, causam tamen dicere maluisse. Inde conjectura fit satis probabilis, Ciceronem, quum verba ista: *ne causam diceret!* summa vocis contentione repeteret, in his ipsis verbis omnem posuisse reprehensionem, atque eam in Vatinius suspicionem derivasse, ut is, contra ac diceret, iudicium fugere voluisse videretur. *Qui consentaneum fuit*, ait Cicero, *cum legationis perfugio uti noluisse, appellatione improbissima te ad auxilium nefarium* (— quia a Clodio id auxilium petebatur! —) *confugisse!* — Itaque non ob id Vatinius vituperatus esse videtur, quod tribunos appellasset, sed quod nominatim eo consilio appellasset, ne iudicii die adesset ac se defenderet. Quod consilium licet Vatinius secutus sit, tamen non omnes ii, qui tribunos pl. adibant, ne causam dicerent, idcirco iudicium fugere voluisse merito arguebantur. Multos enim illud tantum spectasse credibile est, ut alia, ac praestitata die in jus vocarentur, idque tales ob causas, quas si a iudicibus essent repudiatae, tribunos pl., ut qui auxilii ferendi causa instituti essent, accepturos sperarent. P. Corn. Scipio, ut supra dixi, morbum causae esse, cur abesset, excusavit; alii rei vero morbo impediti a tribunis petebant, ut comperendinarentur; alii denique, cum dies, quo adesse jussi erant, venisset, nondum satis se instructos ad causam dicendam sentiebant, et ideo metuebant, ne, si adessent, injuste damnarentur. — De Vatino quidem (ad quem redeundum est) nescio an aliter sit iudicandum. Eum enim causam sonticam, cur tribunos pl. appellaret, non attulisse arbitror, eaque ipsa re effecisse, ut, cum Clodius temere intercessisset, iudices non parerent. In quo quamvis Clodius vehementer vituperandus fuerit, in iudices tamen majorem culpam conferamus necesse est, propterea quod, tametsi non ignorabant, tribuno legibus permissum esse, ut iudicium impediret, i. e. ut iudicium non omnino et in perpetuum, sed in praesens tolleret vel potius averteret, — nihilominus intercedenti Clodio resistere et tribunorum sanctitatem violare conati sunt. Haec Ciceronem fugere non potuerunt; sed tacet is de iudicibus, id unum spectans, ut atrocitatem Clodii augeat, qui, intercessione frustra tentata, *redierit ad illam vim et furorem suum!* Hinc igitur, hinc illae lacrimae! Scilicet peccavit Vatinius, quod nominatim Clodium ap-

pellavit, pestem illius anni, furiam patriae, tempestatem reipublicae; si alium tribunum appellasset, Ciceronem ei nihil de appellatione objecturum fuisse verisimile est.

## §. II.

## De edictis tribuniciis.

1. Tribunos plebis, more praetorum, cum magistratum iniissent, edicta quaedam quotannis promulgasse, ut, quid in cognoscendis causis secuturi essent, sciri posset, ne simile quidem veri est. Nam quum nihil fere ageretur, quod tribuni pl. non suo attingerent auxilio, tot et tam diversae causae ad tribunos deferbantur, ut vix intelligatur, quomodo omnes ad paucas quasdam formulas revocari potuerint. Neque verò talibus decretis, qualia a praetoribus proponebantur, tribunis pl. opus erat, quippe qui, ut Plut. ait (quaest. Rom. 81.) non in sella jus dicerent, neque constituendi potestatem haberent, sed intercedendo tantum et vetando aequitatis tutelam gererent ac simpliciter breviterque ei, a quo appellati erant, aut ferrent auxilium, aut negarent. Quoniam vero omnibus magistratibus in eo genere, in quo potestatem habebant, licebat edicere aliquid, i. e. aut scripto publice proposito aut voce aliquid decernere et constituere; factum est, ut etiam tribuni pl., etsi magistratus proprie non essent, quoties occasio ita tulisset, edicendo aut vetarent aut juberent aliquid, quod ad rem communem pertinere arbitrarentur. Sic Clodius, tribunus pl., quum novandarum rerum cupidus, aliquot rogationes optimatibus haud acceptas perferri vellet, ad coercendam hominum nobilium et in foro dominantium licentiam, publice edixit, ut diebus comitialibus tabernae clauderentur, i. e. ut opifices et ii, qui quaestui quotidiano servirent, cives ne prohiberentur in concionem confluere et de rogationibus istis Clodii suffragia ferre<sup>1)</sup>. Sed ab hoc Clodii edicto differt, quod Cicero de edicto tribunicio scribit in Verr. II, 2, 41: — *Postremo me ipsum apud collegium hoc tribunorum plebis, cum eorum omnium edicto non liceret quemquam Romae esse, qui rei capitalis condemnatus esset, egisse causam Sthenii*: — in quo loco voce illa: *edictum omnium tribunorum* — ego quidem nihil aliud significari puto, nisi tale decretum, quod tribuni pl., in causa nescio qua paulo ante appellati, de communi sententia contra unum aliquem hominem pronuntiaverint, deinde vero, ut eodem decreto omnes tenerentur neve cui simili in causa spes in tribunis posita sero praecideretur, in edictum publicum commutaverint. Cujus edicti severitatem ut lenirent, Cicero Sthenii causa a tribunis pl. se petiisse commemorat.

2. Tertium edictorum tribuniciorum genus attingit Cicero de offic. III, 20: *Ne noster quidem Gratidianus officio boni viri functus est tum, quum praetor esset,*

<sup>1)</sup> Cic. pro dom. 21: *Cum edictis tuis tabernas claudi jubebas, non vim imperitiae multitudinis, sed hominum honestorum modestiam prudentiamque quaerebas!* Et cap. 33: *An tu populum Romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur? qui impelluntur, ut vim afferant magistratibus? ut obsideant senatum? — quem tu tamen populum, nisi tabernis clausis, frequentare non poteris!* — Errat autem Cicero in eo, quod acad. IV, 47 significat solos seditiosos tribunos eum morem secutos esse, ut tabernas ocludi juberent; cum et consules et alii magistratus, si e re publica esse videretur, idem edicerent. Liv. III, 27: *Dictator — justitium edicit, claudi tabernae, tota urbe jubet, vetat quemquam privatae quicquam rei agere.* —

collegiumque praetorum tribuni adhibuissent, ut res nummaria de communi sententia constitueretur. — Conscripserunt communiter edictum cet. — Inde Rubino, longius progressus, colligit tribunos plebis in edictis componendis consilia cum praetoribus communicare solitos esse, ne, quod alteri magistratui placeret, alterius rationi in iudicando repugnaret. Quod mihi quidem parum probatur; sed quod tribunis pl. isto tempore mandatum fuit, ut rem nummariam constituerent, hoc ego rectius ad extraordinaria negotia tribunorum pl. referre mihi videor: tribuni autem sua sponte praetores adhibuerunt, partim ut ab iis adjuvarentur, partim quo facilius res communiter peracta approbaretur, partim denique, quia et praetoribus, maximeque iis, qui in provincias mittendi essent, rem nummariam curae esse sciebant. In tali igitur re, si quid extra ordinem communiter constitutum esset, fieri prorsus non potuit, quin extra ordinem edictum communiter conscriberetur. Verum quocumque modo res se habet, cavendum certe est, ne quid vim consuetudinis certaeque regulae habuisse temere credamus, quod, quanto longius a notis moribus et institutis populi Romani recedere videatur, tanto magis exceptionis speciem prae se ferat<sup>5)</sup>.

## §. III.

**De intercessione tribunorum adversus tribunos.**

1. Sunt qui censeant, jam in monte sacro patres, simul atque tribunis recens creatis intercessionem concesserint, mira quadam prudentia id excepisse, ut intercessio ne valeret nisi tribuni de intercessione inter se consentirent; eamque exceptionem, legibus sacratissimis illico insertam, paulo post in illam transiisse legem, ut, quantam potestatem tribuni pl. in consules et privatos haberent, tantam tribunos adversus tribunum retineret, communi intercessionis nomine significatam. Sed haec, quamvis e longinquo considerantibus probabilia videantur, tamen, cum propius accesserimus, prope ad nihilum venire intelligemus. Nam primum quidem — quis apud ullum scriptorem veterem legit unquam, exceptionem istam tribunis pl. a patribus esse impositam? Quis in legibus sacratissimis, quas de potestate tribunicia in monte sacro sancitas esse constat, istam exceptionem fuisse usquam invenit? Deinde quid est illud: *tribuni pl. de intercessione inter se non consentiunt?* Et quam rationem iniri oportebat, ut sciri posset, tribunos pl. inter se dissentire? Quinque enim ab initio tribuni pl. in urbe erant; quos non omnes uno eodemque loco fuisse nemo est, qui nesciat. Jam igitur, si quis ex tribunis

<sup>5)</sup> De edictis tribunicis Goettling. — Gesch. der röm. Staatsverf. pag. 296 — cautius scribit, quam Rubino. Verba enim Goettlingii haec sunt: Ihre Edicte, welche erwähnt werden, haben entweder eine allgemeine Gültigkeit zur Verhütung einzelner Fälle, welche dem Einzelnen oder dem Ganzen der Plebejer nachtheilig sein können, wie das Edictum: non licere quemquam Romae esse, qui rei capitalis condemnatus esset, oder sie beziehen sich auf allgemeine Feststellung über die Art der Zulassung der Provocation. — Reinius vero. Criminalrecht etc. pag. 62 Rubinonis vestigia persequi videtur, dicens: „die Edicte der Volkstribunen hatten in so fern Einfluss, als die Tribunen die Fälle anzugeben pflegten, in welchen sie zu intercediren versprochen, sei es vor Constitution des Gerichts, sei es nach gefälligem Urtheil gegen dessen Execution.“ Sed quum multum interesset, ut talia proponeret exempla, quibus res tam dubia illustraretur, Reinius hanc operam non dedit. —



alicubi intercessurus erat, ne qua homini privato, a quo appellatus esset, injuria fieret; num eum, ut intercessio rata esset, necesse fuit ex collegis quaerere, utrum sibi assentirent, nec ne? Atque si quando tribunus, collegis non interrogatis, pro sua potestate appellanti cuidam auxilium tulerat, licuitne ceteris tribunis venire et collegae, ut intercessione desisteret, imperare?

Haec et similia quaerentibus nobis satisfieri non potest, nisi si in ipsam tribunatus naturam magis intramus. Id autem non vulgari illa ratione incipiendum est, ut ex singulis potestatis tribuniciae documentis, quae historia Romanorum suppeditat, colligamus, quidnam ejus potestatis fuerit proprium; sed sic potius agendum videtur, ut principium ac fundamentum tribunatus primum ipsum per se satis exquiramus, deinde videamus, quatenus ea, quae tribuni adversus tribunos peregerint, ad vim ac naturam tribunatus conveniant atque respondeant.

Principium autem ac fundamentum tribuniciae potestatis erat hoc, ut tribuni auxilii lationem adversus consules haberent; ut intercederent, vetarent, prohiberent, impedirent, si cui ex plebe homini vim et injuriam fieri viderent. Quamdiu tribuni in hoc potestatis suae fundamento acquiescebant atque eam rationem sequebantur, ut non pro universo populo quidquam administrarent, sed tantummodo, ut Valerii Maximi verbis utar, pro commodis plebis excubarent, terribili suo Veto armati; tamdiu tribuni, licet plebis negotia separatim procuraverint, populi tamen magistratus, quorum quidem nomen veteres Grammatici a magistrando i. e. a regendo, moderando, jubendo derivatum esse affirmant, proprie non erant, neque eodem quo consules ceterique magistratus, qui imperium habebant, jure tenebantur<sup>9)</sup>. Quamquam quid loquimur? Tribuni plebis enim, nisi omnia fallunt, vix per unum annum in hoc fundamento acquieverunt, ac brevissimo tempore ad auxilium suum etiam imperium quoddam adjunxerunt: quod assecuti, duabus quasi induti erant personis, ut qui nunc legitima sua impediendi, quidquid vellent, potestate uterentur, nunc imperio, quod sibi arrogaverant, nitentes ad magistratum similitudinem proxime accederent atque et ipsi magistratus nominarentur.

His praemissis, de ea, quam tribuni adversus tribunos fecerunt, intercessione facilius disputabimus. Duae enim rationes memoria tenendae sunt, quas paucis verbis ita comprehendam, ut dicam:

- a) *intercedentibus ac vetantibus tribunis pl. intercedi non licuisse,*
- b) *magistrantibus vero tribunis i. e. regentibus, agentibus, jubentibus intercedi a collegis licuisse.*

2. Intercedentibus igitur tribunis intercedi non licebat i. e. intercessio adversus intercessionem nihil valebat. Haec ratio quanto magis ipsa per se probanda videtur, tanto difficilior, ut sit, argumentis fulciri potest. Verum ut primum recenseamus, quae extrinsecus afferri possunt, nota est vetus illa lex: *quod tribuni pl. prohibessint, ratum esto* (Cic. de legg. III, 3.), cujus non memini ullam unquam exceptionem aut rogatam aut acceptam esse. Accedit, quod veterum scriptorum multi aliis verbis idem testantur. Livius enim intercessionem potentiorum et ex

<sup>9)</sup> Haud immerito igitur apud Livium tribunis objicitur, eos non populi, sed plebis esse, sine imperio, sine magistratu. Cf. interpp. ad Liv. II, 35. 56. et ad Sallust. Jug. 41. Beck., Handb. der röm. Alterth. II, 2. p. 264 sqq. Idem Beckerus de voce magistratus disput. ibid. p. 7.

decem tribunis pl. vel unum adversus omnes satis fuisse scribit (II, 44. VI, 38), et Seneca (controv. I, 5) *ex tribunis, inquit, potentior est is, qui intercedit* <sup>7)</sup>. Quamobrem, cum quis a tribunis pl. auxilium petebat, poterat quidem evenire, ut tribuni omnes ad unum auxiliari nollent <sup>8)</sup>; sed simulatque unus ex decem tribunis, sive is qui primus, sive ille qui, abnuentibus collegis, postremus aditus esset, se intercessurum dixit, id satis erat ad injuriam prohibendam, neque in mentem quidem ceteris tribunis veniebat, collegam impedire, quo minus potestate sua uteretur. Supra jam dixi Ti. Gracchum tribunum pl. potestate sua usum, adversus omnes collegas, qui intercessionem facere noluissent, vim a L. Scipione prohibuisse, talisque intercessionis plura exempla afferre possem, si iis opus esse videretur. Quod nisi haec tribunorum pl. potestas fuisset, ut singuli auxilium ferrent, cuicumque vellent, et ut impedire possent, quaecunque in urbe agerentur; si ex contrario metuendum semper fuisset, ne ex duobus tribunis is, qui prior intercessisset, intercessioni collegae cedere cogereetur: nonne ineptos, ne dicam ridiculos nobis videri oporteret istos tribunos, qui, nulla collegarum ratione habita, in incertum deliberationis eventum praedixerunt, se hoc illudve fieri non passuros? Id autem non solum Ti. Gracchus ille fecit, sed jam antiquissimo tempore fecisse dicuntur etiam Icilius (Dionys. Halic. IX, 1.) et Duilius (Liv. III, 59.), quos nemo homines dicet fuisse vaniloquos. Quid autem de sanctitate illa tribunorum pl. dicam? Quam quoniam veteres Romani ob id ipsum, ut tuto intercedi posset, inde ab initio non minorem in singulis tribunis quam in cuncto collegio esse voluerunt, sequitur, etiam singulos tribunos in vetando et intercedendo inviolatos, et non modo contra vim et ferrum, sed etiam contra verba atque interfationem legibus sacratissimos armatos fuisse (Cic. p. Sext. 37). Forsitan hic dicat quispiam, per omnem reipublicae aetatem saepius etiam tales exstitisse tribunos, quorum intercessionibus collegae non dubitaverint non parere. Huic equidem respondeo, aliud esse collegae non parere, aliud collegae jure optimo intercedere, ne, quod prohibuerit, ratum fiat. Itaque nisi forte talis lex, quae violari possit, potius non esse lex existimatur, ista ipsa res, tantum abest, ut disputationi nostrae difficultatem afferat, ut contra ad ea, quae hactenus disputavimus, magis etiam firmanda et stabilienda multum valeat. Nam si quis pauca intercessionis tribuniciae a tribunis collegis contentae exempla collegerit, ex unoquoque facile videbit, tribunos pl. pro eo, quod collegis intercedentibus restitissent, gravi poena dignos judicatos esse maximamque invidiam subiisse: quod factum non esset, nisi sapienter id comparatum fuisset, ut ex omnibus tribunis is, qui intercessisset, invictus discederet. *Ipsam Ti. Gracchum, inquit Cicero (de legg. III, 10), non solum vetitus, sed etiam sublatus intercessor straverat. Quid enim illum aliud perculit, nisi quod potestatem intercedendi collegae abrogavit?* —

3. Ti. Graccho autem non vetanti et neganti, sed in comitiis cum populo agenti ab Octavio collega intercessum est: quare facilis ab eo transitus esset ad alteram

<sup>7)</sup> cf. etiam Plut. Ti. Gracch. 10. Cat. min. 20 extr. Dionys. Halic. X, 31 med. Polyb. VI, 16. Zonar. VII, 15. Cic. de legg. III, 10. *nimia potestas est tribunorum plebis. — Quis negat? sed — quod est tam deperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit?*

<sup>8)</sup> Liv. IX, 26. Valer. Max. VI, 1, 10. Liv. II, 55.

intercessionis tribuniciae rationem, nisi invitus paulisper retinerer. Video enim, ut disputatio prospere procedat, impedimenta quaedam tollenda esse, quae Livius et Dionysius mihi attulerunt. Namque hos scriptores de intercessione tribunicia talia passim dixisse invenio, quae sententiae meae aut omnino repugnare, aut, quum ad neutram rationem a me supra propositam plane accommodentur, quasi in medio collocanda videantur. Quod ne quis sit admiratus, meminerit necesse est, et Livium et Dionysium in enarranda veterum Romanorum historia negligentiores fuisse, quam ut ea, quae scripturi essent, omni, quo debebant, studio examinarent. Itaque quod ab historicis nostrae aetatis unusquisque postulat, ut tum similia inter se componant et ad communem quasi fontem revocent, tum rerum dissimilium et non cohaerentium discrimina enodare studeant, — id ab arte Livii Dionysiique alienum fuisse putandum est. Hi enim in scribendo magis quodam sensu recti, quam iudicio et ratione se regi ac duci passi sunt, ob eamque causam, quum non solum illa traderent, quae antiquis temporibus facta esse ex publicis literarum monumentis cognoverant, sed ea quoque, tanquam operis ornandi causa, intexerent, quae fieri potuisse suo quisque animo fingebant, accidit, ut in multis ipsi sibi contradicerent, multa utique falso interpretarentur, plurima certe ex suae aetatis ingenio aestimarent. Nulla autem in re vehementius eos reprehendo, quam quod de veterum Romanorum moribus et institutis leviter plerumque et confuse locuti et amplissima erudiendorum aequalium occasione saepius perperam, quam recte usi sunt. Itaque difficillimum esset ex iis, quae illi memoriae tradiderunt, tantum haurire scientiae, quantum ad deliniendam antiquitatis Romanae imaginem necessario requiritur; nisi in ipsis populi Romani institutis tantum bonae rationis et consilii inesset, ut inquirendo atque investigando, etiam si scriptores veteres dedita fere opera de recta via nos deducere videantur, tandem tamen et principium et exitum inveniamus. Id quoniam jure de aliis institutis dici possit, nunc quidem omitto quaerere; quid vero ad tribunatum pertineat (ad quem redire tempus est), paucis exponere studebo.

4. Ac primum quidem Livius narrat II, 43: „*Sp. Licinius tribunus pl., venisse tempus ratus per ultimam necessitatem legis agrariae patribus injungendae, suscepit rem militarem impediendam*“ (quod nemo adhuc tribunus pl. facere ausus erat). — Tum „*tota invidia tribuniciae potestatis versa in auctorem est: nec in eum consules acrius, quam ipsi ejus collegae, coorti sunt: auxilioque eorum delectum consules habent.*“ — Et paulo post cap. 44: „*Ti. Pontificius eandem viam, velut processisset Sp. Licinio, ingressus, delectum paulisper impedit. Perturbatis iterum patribus, Ap. Claudius, victam tribuniciam potestatem, dicere, priore anno; in praesentia re ipsa, exemplo in perpetuum: quando inventum sit, suis ipsam viribus dissolvi. Neque enim unquam defuturum, qui et ex collega victoriam sibi, et gratiam melioris partis bono publico velit quaesitam. Et plures, si pluribus opus sit, tribunos ad auxilium consulum paratos fore; et unum vel adversus omnes satis esse. Darent modo et consules et primores patrum operam, ut, si minus omnes, aliquos tamen ex tribunis reipublicae ac senatui conciliarent.*“ — Fecerunt patres, quod Ap. Claudius suaserat, tandemque obtinere, ut tribuni plebis „*tribuniciae potestatis vires salubres vellent reipublicae esse: quatuorque tribunorum adversus unum moratorem publici commodi auxilio delectum consules habent.*“ —

Ex his locis, quos integros transcribere operae pretium duxi, contra priorem, quam supra proposui, rationem, illud primum apparet, tribunis pl. quibusdam impediendis ac vetantibus, ergo sua potestate utentibus ipsos collegas his intercessisse, et ita re vera effecisse, ut intercessio intercessione tolleretur. Quod multum sane habet offensionis. Quid enim? Erravitne Livius? An, cum omnia consulum acta impedire tribunis liceret, delectum impedire non licebat? At impediendi delectus haec tantum erat ratio, ut, quemcumque lictor jussu consulis citasset, et, si dicto audiens non esset,prehendisset, tribunus mitti juberet (cf. Liv. III, II, II, 55). Hoc igitur „mitti jubere“ quid erat aliud nisi intercessio et auxilii latio adversus consules? Sed labitur Livius etiam longius. Is enim, quamquam ipse paulo ante narravit, tribunos propter miseriam plebis creatos esse, ut consulibus ambitiosis obsisterent, adeo jam caecus esse videtur, ut eos tribunos, qui, legum sacratarum obliti, tamquam proditores plebis, iniquis superbisque patriciis auxilio fuerint, salutis publicae consuluisse dicat, illum unum vero tribunum, qui suo officio fungitur suaque potestate utitur, ut miseris plebejis aliquem perpetuorum bellorum fructum vindicet, moratorem nominet publici commodi! Hoc, si quidquam, tanti viri gloria indignum fuisse dicemus; sed etiam cavendum erit, ne ex verbis Ap. Claudii falsa concludamus, idque eo magis, quod Livianae orationis dulcedine vehementer omnes commovemur. Ut dicam, quid ego sentiam, primum non nego, adversus Licinium et Ti. Pontificium tribunos tum, quum omnium primi delectum impedirent, incitantibus patriciis, intercessionem per collegas tentatam esse; sed quod huic collegarum partim gratia, partim promissis comparatorum intercessioni Licinius et Pontificius parauerunt, hoc prorsus nego ita interpretandum esse, quasi illi ex duabus intercessionibus alteram altera i. e. posteriorem priore potentiorum, et quatuor tribunorum potestatem majorem, quam unius, fuisse putarint<sup>9)</sup>. Parendi enim et cedendi haec una causa fuit, quod illi tribuni, tam gravibus intercessionibus nondum assueti, ad prohibendum delectum pavidi accesserant nequedum a se impetrare potuerant, ut, sua potestate freti, vim et minas Appii aliorumque patriciorum spernerent. Factum est igitur illo quoque tempore, ut vis et injuria de jure victoriam reportaret: quae calamitas ne rediret, mox audaciores legumque peritiores tribuni pl. providerunt. Etsi enim ex illo tempore saepissime delectui habendo a tribunis intercessam esse legimus, nemo tamen harum intercessionum ullam a collegis sublatam esse inveniet: non quo patricii ad deterrendos tribunos pl. posthac segniores fuerint, aut separata quisquam lege tum demum sanxerit, ut delectum impediri liceret; sed quia, quid naturae tribunatus consentaneum et consequens esset, in dies melius intelligebatur, omnesque, sublato tribunicio auxilio, quod non consulibus adversus plebejos, sed plebejis adversus consules ferendum esset, ipsum tribunatum tolli sentiebant. Haud opportuno igitur tempore Livius Ap. Claudium laetantem inducit et gloriantem, viam unam dissolvendae tribuniciae potestatis jam „in perpetuum“ inventam esse per collegarum intercessionem; sin autem Livius compertum habuit, Ap. Claudium reapse illa argumentatum vel potius alucinatum esse, cur non ejus errorem correxit et aperte pro-

<sup>9)</sup> vide quae infra dicta sunt pag. 16., ubi de Niebuhrii sententia, usque ad captos fere Vejios majorem tribunorum partem plus valuisse, exponitur.

fessus est, quod tribuni pl. intercessionem collegae impedivissent et suam ipsorum potestatem, quam bellandi cupiditatem consulum vincere maluissent, id adeo contra leges et instituta majorum fuisse, ut pessimum eorum exemplum nemo posthac imitari auderet? Neque enim ista una via dissolvendae tribuniciae potestatis illius Appii aetate inventa fuisse videtur, neque illud remedium, quod Livii animo observabatur, prius inveniri potuit, quam tribuni plebis, fines tribunatus egressi, etiam agendi et administrandi potestate uti verumque imperium exercere coepissent. Tum demum ita, ut infra exponemus, per se ipsum, nemine certo auctore, in morem venit, ut tribuni pl. adversus eos collegas, qui, derelicta via negandi et impediendi, publicas res agere non dubitarent, pro sua potestate intercessionem facerent; atque ad has tantum intercessionem, quippe quae non adversus impeditorem, sed adversus actionem fierent, illud pertinere potuit, quod Appius dixit unum tribunorum vel adversus omnes satis fuisse. Causa igitur, quare factum sit, ut Livius aliquantum a vero aberraret, certe recte judicandi difficultates auget, haec esse videtur, quod, quantum potestas impediendi et potestas agendi vel efficiendi inter se differrent, aut non vidit, aut attendere supersedit. In iis, quae proxime sequuntur, sententia Livii aliquamdiu fluctuare videtur. Namque ad rectam quidem rationem Livius — invitus fere, ut videtur — reducit II, 56. Volo tribunus pl. legem illam tulit ad populum, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent. „Huic actioni,“ ait Livius, „quum summa vi resisterent patres, nec, quae una vis ad resistendum erat, ut intercederet, aliquis ex collegio (tribunorum) auctoritate consulum aut principum adduci posset, res — — extrahitur.“ Si tribuni actioni Voleronis collegae restitissent, id legitime fecissent; propterea quod eiusmodi actiones tribunicia potestate non continebantur. Sed jam lib. IV, cap. 48 haud multum abest, quin Livius eundem illum, quem modo notavimus, errorem legentibus objiciat.

Duo tribuni pl. rogationem promulgaverant, ut ager ex hostibus captus viritim divideretur. Itaque atrox plebi patribusque propositum videbatur certamen: nec tribuni militum — viam consilii inveniebant; quum Ap. Claudius (minor) dicitur dixisse, Vetus se ac familiare consilium domo afferre; proavum enim suum Ap. Claudium ostendisse patribus viam unam dissolvendae tribuniciae potestatis per collegarum intercessionem etc. etc. — Quid multa? Consilium Appii approbatur; patribus negotium datur, ut, quos quisque possit ex collegio tribunorum, ad intercessionem pelliciant. — Peccat igitur Livius in eo, quod ita scribit, quasi non alia res hoc loco agatur, ac quae lib. II, 43—44 in quaestionem vocata erat; et quasi delectum impedire et legem rogare, cum de jure et potestate tribunicia quaerimus, duae res sint ejusdem et generis et fontis. Quo nihil magis ad impediendam rei intelligentiam accommodatum est. Alter enim Appius a tribunis pl. petiverat, ut in ipsum illud Veto impetum facerent et intercessionem tollerent; id haud dubium est, quin a legibus sacratis abhorruerit; alter vero nihil aliud „per collegarum intercessionem“ assequi voluit, nisi ut actioni tribuniciae resisteretur; hoc patribus gratificari tribuni pl. nulla certe lege prohibebantur.

5. Similiter atque etiam vehementius errat Dionysius. Qui quidem, quoniam dixit (X, 30.), patricios hanc unam spem resistendi tribunis pl. habuisse, ut discordias sererent inter tribunos, jam in omnem partem satis se dixisse et rem difficilem — si quidem difficultatem sensit — enodasse opinatur; neque intelligit,

tam infinita definitione se ipsum decipi, quaestionem vero propositam, cujus caput in eo versatur, ut voces *impeditio* et *actio* recte intelligantur et distinguantur, impediri magis, quam expediri. Videtur autem Dionysius, quum invenisset, tribunos pl. eodem fere tempore, quo potestatem impediendi i. e. intercessionem, auxilii lationem nacti essent, etiam potestatem agendi ipsos sibi assumisisse, hujus ipsius rei insolentia ac novitate perturbatus esse. Postquam igitur, quid statuendum esset, frustra diu quaesivit, tandem non ipse rem, sed res ipsum constituit atque firmavit, h. e. ex iis ipsis, quae, sicut facta et memoriae prodita erant, enarrabat, manifesto apparuit, discordias istas tribunorum, nisi adversus actiones, rogationes, impetus patricios, omnino utiles non fuisse. Possunt haec, quae dixi, multis confirmari exemplis; sed ne res justo longius producat, unum illud satis sit, quod jam semel, alio quidem consilio, in medium protuli (IX, 1.) Sp. Icilius, tribunus pl. senatusconsultis quibusdam intercedit. Id quamvis patricii, ut semper, molestissime ferant, nemo tamen avertere posse videtur: quum Ap. Claudius patribus graviter commotis auctor est, ut, quae una spes auxilii sit, dissidium inter tribunos pl. excitent. Hactenus ex ordine omnia procedere videntur. Sed quid postea? Jam sequuntur mira quaedam et inter se repugnantia. Etenim quaerentibus nobis, num patribus contigerit, ut dissensionem tribunorum commoverent, et quisnam ex collegio tribunorum, propter dissensionem, ad intercessionem adversus Icilium paratus fuerit; nullum omnino verbum Dionysius respondet: sed perinde ac si obscure saltem senserit, adversus intercessionem Iciliii nulli collegarum intercessioni locum fuisse, praeter opinionem rem eo subito convertit, quo minime perventurus videbatur. Adjungit enim, superbum illum Ap. Claudium, metuentem, ne quis tribunos violaturos esset, patrum in memoriam simul revocasse, *Icilium sacrosanctum esse, et ex ipsis legibus sacratis hanc habere potestatem, ut non solum senatus-consulto, sed quidquid vellet, facta intercessione, impediret.* Haec qua ratione cum iis, quae modo praemisit, congruunt? Si Ap. Claudius non ignorabat, tribunos pl. potestatem intercedendi ex legibus habere, neque iis contra dici licere: qui consentaneum fuit, ut ipsos collegas in Icilium concitaret? Sin autem, contempta legitima tribunorum potestate et sanctitate, Icilium aliosque adversarios vi et armis victos voluit: cur patricios adhortatus est, ut a violandis tribunis manus abstinerent?

6. Sed haec hactenus. Veniamus nunc ad illam alteram intercessionis tribuniciae rationem, quam quum supra pag. 7. ita breviter definiverim, ut dicerem:

*magistrantibus tribunis pl., i. e. regentibus, agentibus, jubentibus intercedi a collegis licuisse,*

nunc paulo pluribus verbis amplecti debemus. In vetando igitur et impediendo tribunos violari nefas erat; et quoad tribuni per intercessionem auxilium ferebant, eatenus maxima illa sanctitate tegebantur, ut iis resisti nullo modo posset. Et recte quidem. Verum tamen, ut altius et a fonte, quod quaerimus, repetamus, concedendum erit, omnino non potuisse fieri, ut tribuni pl., quocumque prodirent et quodcumque susciperent, vetantium tantummodo et intercedentium speciem praeberent; sed vitae quotidianae et consuetudines et necessitudines ita ferebant, ut saepius, posthabita impediendi ratione, et ipsi aliquid agerent et juberent. In his autem actionibus tribunos plebis tutela ac praesidio sanctitatis non aequae atque in intercessionibus adjutos, sed paene privatis pares habitos esse, certissimum est;

ita ut neque retineretur quisquam, quin adversus eum tribunum, qui male tractasse aliquem videretur, ejus collegas auxilio vocaret, neque collegae ulla lege hoc auxilium ferre vetarentur. Itaque pauci quidam tribuni plebis, quum hoc ita se habere aut non intelligerent, aut se non intelligere certe simularent, magnum fecerunt detrimentum. Cujus quidem rei exemplum jam supra attulimus ex Valer. max. VI, 1, 7; cui adjungas licet, quod idem auctor memoriae tradidit VI, 5, 4: *Magnam laudem collegium tribunorum tulit, quod, cum unus ex eo L. Cotta fiducia sacrosanctae potestatis creditoribus suis nollet satisfacere, decrevit, si neque solveret pecuniam, neque daret, cum quo sponsio fieret, se appellantis eum creditoribus auxilio futurum: iniquum ratum, majestatem publicam privatae perfidiae obtentui esse.* — Sed proxime tamen inde ab initio illud imminabat periculum, ne quid in ipso munere fungendo tribuni pl. peccare possent; idque periculum in rempublicam invasit penitusque in ea insedit, ex quo tribuni plebis non amplius satis habebant, si vim et injuriam arcerent et fieri vetarent; sed extra fines auxilii ferendi longe egressi, multa publice agentes tamquam regnare, agendoque ipsi vim et injuriam facere coeperant. Tum vero id unum et consequens et efficacissimum haberi coeptum est, ut a tribunis plebis, quippe qui omnibus jussis intercedendi potestatem haberent, etiam adversus ipsos collegas auxilium peteretur. Quod quomodo antiquissimo tempore usu venerit, et qua ratione tribuni pl., si collegae injuste quid egissent, id inhibere soliti sint, etsi difficile judicatu videtur, tamen ex iis, quae de Caesonis Quintii judicio apud Liv. III, 11—13 leguntur, conjecturam quandam facere nobis licebit. Huic enim Caesoni Quintio, juveni patriciorum ferocissimo, capitis dies dicta erat, quod, *eo duce, saepe pulsus foro tribuni, fuga ac fugata plebs esset.* Atque jam aderat judicio dies, apparebatque, Caesonem damnatum iri, quum M. Volscius quidam testis exstitit, fratrem suum nuper in rixa aliqua pugno ictum a Caesone cecidisse semianimum, domumque ablatum mortuum esse. Haec Volscio clamitante, Virginius, tribunus pl., priusquam judicium fieret, arripi jussit Caesonem et in vincula duci. Patricii, negantes civem idemnatum indicta causa debere violari, summa vi resistunt; sed frustra. Appellati tandem tribuni medio decreto *ius auxilii sui expediunt: in vincula conjici vetant; sisti reum, pecuniamque, nisi sistatur, populo promitti, placere pronuntiant.* Quo facto, Virginius, quod non impediendi, sed jubendi potestate usus erat, vetantibus collegis, quibus satis esse videbatur, si Caeso vades publicos daret, cessit<sup>10)</sup>. — In quo quamquam mihi quidem illi tribuni aequitatis munere functi videntur; tamen non ita multos tribunos fuisse puto, qui eos sibi delegerint ad imitandum<sup>11)</sup>: sed, cum

<sup>10)</sup> Ex hoc Livii loco Goettling, pag. 294 collegit, penes tribunos pl. eam quoque potestatem fuisse, ut judicarent et decernerent, „ob ein Angeklagter bis zum Tage des Gerichts ins Gefängnis geworfen werden, oder ob ihm gestattet sein sollte, Bürgen (vades) seines Erscheinens und der Strafe zu stellen, die ihn treffen würde.“ Quae quidem aut falso explicata, aut male dicta videntur. Ut enim casu evenerat, ut tribuni pl. in hac causa appellarentur, ita casu et semel factum est, ut de vadibus dandis in hac ipsa causa decernerent: nihil enim decrevissent, nisi appellati essent. Caput autem rei in eo est, quod *auxilium ferunt* h. e. quod *vetant* id fieri, quod Virginius fieri *jusserat*, et id ita quidem vetant, ut, ne quid plebs detrimenti capiat, non totam eam rem, quam Virginius solus decreverat, tollant, sed satis auxilii sibi videre pronuntient, si vades dentur, pecuniaque promittatur cet. — Aliud auxilium non invenerunt.

<sup>11)</sup> Cf. Liv. IX, 34 et ep. lib. 59. Cic. in Vatin. 9.

illis temporibus, quibus patricii ac plebeji mutuis inter se odiis certabant, neminem fugeret, si tribuni adversus tribunos saepius intercederent, tribuniciam potestatem suis ipsam viribus imminui, nec ad vincendam patriciorum arrogantiam accrescere atque maturescere posse, — in universum tribuni plebis *actionibus* collegarum resistere gravabantur. Ita factum est, ut vetementes audacesque tribuni plebis in dies majora et spectarent et auderent. Plurimum vero tribuni antiquissimis jam temporibus tum profecerunt et quasi fundamenta sui sibi magistratus jecerunt, quum Coriolano diem apud plebem dixerunt, et plebeji, jussu tribunorum tributim convocati, Coriolanum — qui minas tribunicias contemtim audiverat, quod *auxilii*, non *poenae jus tribuniciae potestati datum esset* —, facto judicio omnium primum damnaverunt. Ex illo enim tempore, quod semel prospere tentatum fuerat, in consuetudine permansit, ut comitiis tributis plebeji de iis publice judicarent, quibus tribuni pl. diem dixissent; atque, cum jam in his judiciis tribunorum auctoritas plurimum valeret, accessit tamen brevissimo tempore, quod iidem tribuni iisdem comitiis etiam leges promulgare plebemque rogare coeperunt: cujus gravissimae rei occasionem, haud dubium est, quin lex Cassia agraria tribunis obtulerit, postquam, auctore ipso ante perlatam legem patriciorum fraude necato, cogitatio omnium animis fuit injecta, sisti non amplius posse, nisi agri publici, quantum aequum esset, plebi daretur. Jam jam magistratus et cum magistratu imperium tribuniciae potestatis satis fundatum et firmatum esse videbatur, nec facile quisquam eos alio ac magistratum nomine vocabat. Quid? quod haud multum aberat, quin prae nova accusandi ulciscendique, et legum maxime ferendarum potestate legitimum illud auxilium, ad quod ferendum tribuni antiquitus constituti erant, parvum (non parvi!) duceretur, et tribuni pl. justos et veros magistratus omnes potentia longe superarent. Atrocissime tamen tribuni cum consulibus de imperio certare cogebantur: quare equidem haud negaverim, mox tales, quales Livius (II, 57.) scribit, querimonias passim auditas esse: *dum tribuni consulesque ad se quisque omnia trahant, nihil relictum esse virium in medio: distractam laceratamque rempublicam magis, quorum in manu sit, quam ut incolumis sit, quaeri*. Quamquam ne ex senatoribus quidem multi, ut vim et auctoritatem suam, aequae pacis componendae causa, interponerent, istis quaerimoniis commovebantur; nedum juniores patricii, qui, quod ad unum omnes dominationem appetebant, auctoribus tribunis pl. *graviores accipi leges, quam in sacro monte acceptae essent*, cum Ap. Claudio clamitabant. Verum, ut fit, quum nimium crevisset reipublicae periculum, inventum est, quo in comitiis tributis quoque tribunis pl. resisteretur. Primum enim, quod in comitiis tributis vis tribunorum omnis fere non in vetando et intercedendo, sed in agendo consisteret, satis id causae habebatur, cur adversus eum tribunum, qui publice quid cum populo ageret, legemve rogaret, ex collegis unus aliquis intercedere posset, si modo auderet propter invidiam. Quae intercessio — id quod ex iis perspicitur, quae supra dicta sunt — a capite tribunatus repetita, ipsa propter sese commendabatur, ut haud sciam, an jure diffidamus iis scriptoribus, qui tribunos callide a patriciis ad eam provocatos esse tradunt. Deinde, quoniam tribuni pl., ut modo exposui, id assecuti erant, ut cum magistratibus populi Romani exaequarentur; eadem jura et officia in tribunos, quae in ceteros magistratus, cadere necesse erat. Praecipuum autem jus magistratum erat hoc, ut, qui eundem ma-



gistratum genereut, ii pari potestate essent; qui vero pari potestate essent, ii intercessionem adversus collegam haberent<sup>12</sup>). Hinc, quum consul consuli, praetor praetori, censor censori cet., si e republica esse videretur, aut si quis appellasset, obsistere soleret, recte concludebatur, vel nunc maxime concluditur, etiam tribunis tribunos morari et impedire licuisse. Quod quidem parem magistratum appellandi jns, quod una cum republica natum creditur, tamquam a natura datum, tam utile tamque ad tuendam libertatem necessarium existimabatur, ut ipsi decemviri, quamquam, sublatis cunctis magistratibus, sine provocatione creati erant, tamen *appellatione collegae*, ut Livius ait (III, 34. 36.), *corrige reddita ab se jura primo saltem anno sinerent*. Sed ut jam proximo anno decemviri moleste tulerunt, per appellationem collegarum suae licentiae frenos quosdam injectos esse, et ob eam causam — id quod crimini postea iis datum est — intercessionem consensu sustulerunt; ita tribunorum pl. ira et indignatio commovebatur, quotiescunque inter collegas existebant, qui, senatus auctoritatem secuti, rogationibus actionibusque tribuniciis moram facere auderent. Quam praeclare igitur et ad tempus apte Ap. Claudius decemvir dicit apud Liv. VI, 56: *Si indicta causa in vincula ducatur, iterum se tribunos pl. appellare* (primum enim frustra eos appellaverat), *et monere, ne imitentur, quos oderint*. *Quodsi tribuni eodem foedere obligatos se fateantur tollendae appellationis causa, in quam conspirasse decemviros criminati sint; — se provocare ad populum.*

7. Simpliciter exponere atque demonstrare studui:

- 1) intercessionem tribunorum potentiorum fuisse, quam actionem.
- 2) Ob id ipsum vel unum, qui intercederet, tribunum satis fuisse adversus omnes collegas, si ad agendum aliquid eos consociatos videret.
- 3) Fieri igitur, nisi vis adhiberetur, omnino non potuisse, ut intercessio intercessio tolleretur.

Cum autem veterum scriptorum auctoritates, ubicunque utile visum est, interposuerim, erunt fortasse, quibus quid ii, qui recentiore aetate de tribunis pl. disseruerunt, censuerint, minus curavisse videar. Quapropter, ne quid desit, quod facere potuerim, etiam recentiorum auctorum sententiis examinandis aliquantum operae navabo. Ac Goettlingius (*Gesch. der röm. Staatsverfass.*) primum locum obtineat, non quo maxime laudandus sit, sed quia ex iis, quae contexuit, difficile est intellectu, quam late patuerit intercessio tribunicia et quibusnam finibus fuerit circumscripta. Is enim, si jura tribunorum in unum congestisset, congestaque ex ratione disposuisset, bene de tribunis pl. meritis esset. At quot facinora tribunorum deprehendit, totidem fere sumsit eorum jura fuisse, quae singulatim in medio proposuit, non generatim composuit. Doleo, quod, brevitatis causa, pauca tantum Goettlingii verba afferre mihi licet. Dicit ille pag. 293: „Zuweilen ist die Sache von Neueren so betrachtet worden, als ob das Veto eines zweiten Tribunen, gegen das Veto des ersteren eingelegt, auch hemmende Kraft gehabt. Dies ist ganz undenkbar; vielmehr bezieht sich die Intercession eines Tribunen gegen den andern jederzeit bloss auf das Untersagen des Vortrags einer Rogation von

<sup>12</sup> vid. *Woeniger*, das Sacralsystem und das Provocationsverfahren der Römer (1843), pag. 310. 311. 337—339. et interpp. ad Liv. II, 18.

Seiten eines Tribunen vor den abstimmenden Comitien des Volkes, wozu die Tribunen berechtigt waren; anfangs, wie es scheint, bloss in ihrer Mehrheit, dann auch jeder einzelne.“ *Vix postulabit quisquam, ut ostendam, quam nihil valeant ista verba: „jederzeit bloss“; quasi vero ea omnia, quae tribuni procul a comitiis publice agebant, collegarum intercessione impediri non potuerint!* Graviora videntur, quae sequuntur: „anfangs, wie es scheint, bloss in ihrer Mehrheit“, idcirco quod ad haec verba G. illud annexuit, quod Niebuhrius sine ulla dubitatione confirmavit: usque ad eam fere aetatem, qua Romani Vejos ceperunt, non unius tribuni intercessione, sed majoris tribunorum partis consensu res dijudicatas esse. Quam Niebuhrii sententiam parum sibi probari, ex additamento illo: „wie es scheint“ — G. vult intelligi. Neque vero Beckerus multo majorem Niebuhrio fidem habet; quamquam eo loco, quo de nova hac Niebuhrii sententia loquitur (II, pag. 275. 276.<sup>13)</sup>), nihil facit, ut verum inveniatur. Quid equidem de illa Niebuhrii conjectura judicem, jam satis apparere puto ex iis, quae supra dicta sunt. Sed quoniam non possum Niebuhrio non repugnare, religioni haberem, si, quae in promptu sunt argumenta, ea non afferrem. Compluribus autem locis eam, de qua quaerimus, rem N. tetigit: Röm. Gesch. I, 689. II, 216. 237.<sup>14)</sup> 240. et potissimum 293—295. Quod Ap. Claudius ille, decemvir, apud Liv. II, 44. anno a. U. c. 274. dixisse fertur: *unum tribunum pl. vel adversus omnes satis esse* — hoc gravissimum, ut videtur, testimonium paucis verbis N. plane dissolvit: Mit dem Rathe des Ahnherrn<sup>15)</sup> ist es ganz gewiss weiter nichts als missverständene Uebertragung der Intercession des Einzelnen auf die der Mehrheit; bezogen vom Enkel auf den damaligen Appius Claudius.“ — Quae quidem argumentandi ratio mihi non placuit. Nam non semel illud legitur, quod Liv. II, 44. Ap. Claudium majorem dixisse facit; sed jam II, 56., ubi lex Publilia agitatur, ad eandem illam sententiam suis verbis Livius redit: — *nec, quae una vis ad resistendum erat, ut intercederet aliquis ex collegio* (tribunorum), — *adduci posset cet. cet.* — Quis demonstrabit, hac voce „*aliquis*“ non unum, sed majorem tribunorum pl. partem significatam esse? Illud igitur certe non erit dubium, quin Livius, quum res populi Romani perscriberet, non habuerit compertum, quod Nieb. detexisse sibi videretur. Atqui, quoniam Livium non certissimum auctorem esse supra concessi, nihil

<sup>13)</sup> — Fand Meinungsverschiedenheit Statt (in collegio tribunorum), so konnte wenigstens späterhin, abweichend von eigentlichem Gerichtsbrauche, geschehen, dass nicht die Mehrheit der Stimmen entschied, sondern dass — ein einzelner Tribun — sein auxilium zusagte. Ita Beckerus. Idem repetit pauca exempla a Niebuhrio allata; sed utrum recte judicaverit Niebuhrius, nec ne, in dubio relinquit.

<sup>14)</sup> Oblectatus sum annotatione Goettlingii, pag. 294, not. 6. Ibi G. scribit: „Niebuhr II, S. 237. sagt, wenn zwei Tribunen über eine Anklage einig gewesen seien, so habe sie das übrige Collegium nicht hindern können. Dafür finde ich keine Beweise.“ — Non vidit G., temporum rationem esse habendam. Niebuhrius enim de Genucio tribuno scribit, qui L. Fario et C. Manlio coss., abeuntibus magistratu, diem dixit (Liv. II, 54.). Jam cum constet, eo tempore, quo hoc Genucius fecerit, nondum decem, sed quinque omnino tribunos fuisse; Nieb., cum dicit: „Einsage half nichts, wenn zwei von den Collegien mit Genucius einig waren“ — nihil aliud dicit, quam frustra laboraturos fuisse patres, si Genucius et duo collegae i. e. *major pars* tribunorum contra viros illos consulares stetissent. Quid mirum igitur, quod Goettl. fictae ejus rei, quam injuria Niebuhrio attribuit, frustra quaesivit exempla?

<sup>15)</sup> vide quae supra dixi pag. 9.

equidem morabor, quin illud Appii testimonium in dubio relinquatur: dummodo exspectari liceat, ut N. alia quoque et certiora argumenta afferat, ex quibus id, quod contendit, necessario efficiatur et cogatur. Num haec argumenta N. proposuit? Videamus. Verba ejus sunt: „Auch das Volkstribunat hat um diese Zeit (c. 360. a. U. c.) eine höchst wesentliche Veränderung erfahren. Noch immer hatte die Stimmenmehrheit in demselben entschieden: das Ackergesetz von 339 ward dadurch vereitelt, dass die Patres sechs Tribunen gewannen, also die Mehrheit: es hätte der grossen Bemühungen, womit diese erlangt ward, nicht bedurft, wenn schon damals ein einziges Veto hinreichend gewesen wäre: und hätten die vier Tribunen, welche die Sache des Consuls C. Sempronius zu ihrer eigenen machten, die Anklage ihrer Collegen mit einem Worte aufheben können, sie würden nicht durch Trauerkleider und Bitten das Volk zu erweichen gesucht haben. Aber 360 und 361 waren es zwei, welche die Rogation über Veji aufhielten: so wie um 380 Licinius und Sextius die Comitien hinderten: es stand mithin nicht in der Gewalt der acht übrigen, jenes Hinderniss aufzuheben.“ — Duo igitur exempla N. nobis consideranda dedit: quorum prius, sumtum ex Liv. IV, 48, jam supra semel consideratum est. Hoc ipsum autem exemplum mihi quidem nullam ad id, quod N. voluit, persuadendum vim habere videtur. Patricii enim, quum duo tribuni legem agrariam tulissent, omnes decem tribunos concordēs esse suspicati sunt. Quod si ita fuisset et mansisset, frustra reclamassent. Itaque nihil non tentare statuunt, ut eam concordiam disjungant et, quot quisque possit ex collegio tribunorum, ad intercessionem pelliciant: *suadendo, monendo, pollicendo*, — *sex ad intercessionem comparavere*. Quod postquam iis contigit, bene erat; sed si unum tantum tribunum sibi conciliare potuissent, et is unus eo fuisset animo, ut sua potestate fortiter ac intrepide uteretur: satis is unus auxilii tulisset, propterea quod *actioni*, non *intercessioni* erat resistendum. Sed difficillimis illis temporibus haud ita multi tribuni animi fortitudine et constantia M. Duilio illi tribuno pares erant: qui, quantum unius tribuni, suum jus tenentis, intercessio adversus collegarum actiones polleret, non ignarus, pronuntiare ausus est (Liv. III, 59): *Et libertatis nostrae et poenarum ex inimicis satis est. itaque hoc anno nec diem dici cuiquam, nec in vincula duci quemquam sum passurus*. — De altero exemplo nemo, ut opinor, cum Niebubrio plane consentiet, quum Livium ipsum (IV, 42) diligentius inspexerit. Verum est, quatuor tribunos pl. Sempronio consuli, cui Hortensius tribunus diem dixerat, favisse; eosdemque tribunos, ut sollicito consuli auxiliarentur, non intercessisse (id quod exspectabatur), sed oravisse: *ne* (Hortensius) *impe- ratorem suum innoxium, in quo nihil praeter fortunam reprehendi posset, vexaret*. Quid vero, si Livium audimus, Hortensius collegis orantibus respondet? *Non precibus tribunorum, quae in speciem modo jactentur, sed auxilio confidere reum*. Ex his nonne intelligitur, Hortensium timuisse, ne collegae, si preces nequidquam tentatae essent, *auxilio* futuri h. e. *intercessuri* essent? Neque alia est causa, cur Hortensius, modo ad consulem conversus, *sub tribunicia umbra consularem virum delituisse*, dixerit, modo ad collegas, *Vos autem, si reum perago, quid acturi estis? an erepturi jus populo, et eversuri tribuniciam potestatem?* Haec verba, minaciora quam veriora, amici consulis Sempronii spernere impune potuissent; sed quia sub oculis populi Romani, qui magnum in Sempronium odium conceperat, haec omnia

Hortensius peregit, quatuor ejus collegae adeo sunt perterriti, ut paratam intercessionem omitterent, dicentes: — *et de Sempronio et de omnibus summam populi Romani potestatem esse, nec se iudicium populi tollere aut velle aut posse; sed, si preces suae pro imperatore non valuissent, se vestem cum eo mutaturos.* Quibus auditis, Hortensius, ne a collegis modestia superari videretur, accusatione destitit. —

8. His ad refellendum Niebuhrium expositis, libere confiteor, reperiri alia quaedam apud Livium exempla, quibus facile quis adduci posse videatur, ut Niebuhrium illud recte praecepisse credat. Primum enim recordabimur, quae Livius dixit II, 44: — *quatuor tribunorum adversus unum — auxilio delectum consules habent.* — Sed huic exemplo, quoniam, quid de eo esset statuendum, satis multis et perspicuis verbis jam supra pag. 9. exposuisse mihi videor, nihil omnino auctoritatis adhiberem, nisi accederet locus gravior, Liv. IV, 53: M. Maenius, tribunus plebis, delectum habentem Valerium consulem impedit; sed ceteri novem tribuni, cum *res diu ducta per altercationem esset, — decreto interposito, sustulerunt certamen, pronuntiaveruntque ex collegii sententia, C. Valerio consuli se, — adversus intercessionem collegae, — auxilio futuros esse.* — Nonne evidentissimum est, hos novem tribunos, *decreto interposito,* de uno Maenio, qui intercesserat, triumphasse? Ita sane: et triumphasse eos, non est, quod negem; sed justum fuisse eum triumphum non concedam. Ut breviter, quod sentio, dicam, primum moneo, ne quis obliviscatur, utroque loco Liviano impeditio delectus esse, de qua agatur. Id si quis attenderit, facilius mihi adsentietur, Maenium tribunum non minus, quam Tib. Pontificium (qui delectum *paulisper* impedit, Liv. II, 44.) minis tantum et terrore commotum fuisse, ut collegis cederet. At quoniam causa fuit, cur patriciis temporibus antiquissimis aliquoties contingeret, ut tantum tribunis plebis terrorem injicerent? Causas ejus rei tres fuisse equidem crediderim. Primum enim, quod impeditio delectus sive jus intercedendi consulibus delectum habentibus non nominatim et diserte tribunis plebis datum, sed ex illa auxilii latione, quam adversus consules tribuni acceperant, prudenter repetitum erat; haec ipsa res patriciis justiore causam resistendi ab initio praebat. Deinde, quum nullum jus tribunicium patriciis bellorum cupidissimis tam perniciosum esse videretur, quam impeditio delectus; patricios, quotiescunque aliquis ex collegio tribunorum delectum impediendum suscepisset, vehementissime et atrocissime in eum coortos esse legimus. Gravissimum autem omnium erat, quod tribuni difficillimo plerumque tempore, quum jam hostes ante portas urbis esse dicerentur periculumque non patriciis, sed civitati imminere videretur, delectum impediabant. Hinc enim factum est, ut etiam plebeji, ad novum intercessionis spectaculum intenti, pavere inciperent et, nisi tribuni cederent, patriciis deos hominesque testantibus, *quidquid ab hostibus cladis ignominiaeque aut jam acceptum esset, aut immineret, culpam penes tribunum esse, qui delectum impediret* — opitulari parati essent. Ex his omnibus fortasse apparebit, impeditio delectus tale ab initio telum fuisse, quod tribuni pl., nisi omni abjecto timore, intendere non possent; neque mirabimur, quod et fortiores tribuni plebis, priusquam jus suum plane cognitum perspectumque haberent, certi consilii nonnumquam fuerint expertes. Sed illud tamen constat, brevissimo tempore potestatem tribuniciam auctam magisque definitam esse; ita ut haud sciam an nullus amplius tribunus, ne tum quidem, cum delectus impeditus

esset, intercedentibus collegis per speciem auxilii ferendi resistere ausus sit. —

9. Verum enimvero mirum videri debebit, quod, cum saepius legatur, ita fuisse institutum, ut *intercessio* esset potentior, quam quaelibet tribunorum *actio*, ideoque unus adversus omnes satis esset; et cum haud desint sane exempla, ex quibus aut unum tribunum adversus omnes, aut certe partem minorem adversus majorem jus suum obtinuisse cognoscamus<sup>16)</sup> — mirum videtur, inquam, et habet aliquid suspicionis, quod eorum hominum, qui in aram tribunatus confugerunt, pauci satis habuerunt, si unum ex omnibus tribunis sibi parassent, sed longe plerique per omnem reipublicae aetatem omni opera id enisi sunt et contenderunt, ut, si non omnes, tamen plures, tamen majorem partem tribunorum sibi conciliarent. Cujus rei causam ut inveniamus, inspicere debemus in animos hominum sive vita, sive fama, sive aliis rebus gravissimis periclitantium. Hi enim, quandoquidem auxilium tribuniciam implorare statuerant, etsi non erant nescii, eum unum tribunum, qui intercederet, utpote munitum lege sacrata, omnibus collegis superiorem esse; tamen, quoniam acerbissimae cuique legi aegerrime obtemperatur, cautions plerumque erant, quam ut in unius tribuni fiducia omnem deponerent metum; neque aliter de se cogitabant, quam de republica Cicero: *non esse saepius in uno homine salutem summam periclitandam reipublicae* (in Cat. I, 5), aut Q. Catulus ille, quum legem Gabiniam dissuaderet: *non omnia in uno esse ponenda, quoniam huic uni accidere quid posset*<sup>17)</sup>.

Neque id injuria quidem. In omni enim memoria, quantum lex illa, ut unus tribunus adversus omnes satis esset, valeret, nulla fere ex re judicari poterat, nisi ex singulorum tribunorum ingenio, fortitudine, constantia: et quanto quisque audacius pertinaciusque intercedebat, tanto majorem legi sacratae auctoritatem plerumque vindicabat. Ita factum est, ut unius tribuni *intercessio* paucissimis tantum satis firma ac tuta videretur; quis enim poterat cavere, ne, quae in uno intercessore collocata esset spes, eluderetur? In unum enim tribunum (nisi forte is erat, qui jam virtutis fama adversarios a resistendo absterreret), lege ipsa non violata, varii tamen impetus et facilius et saepe felicius, quam in plures, fiebant; erat gratiae locus, erat precibus lacrimisque, erat promissis, beneficiis; et si quis tenaciorem propositi se praebebat, quam ut malis artibus commoveretur, eum fortasse injectis terroribus minisque potentissimi quique ex adversariis eo adducebant, ut intercedendi consilium abjiceret promissumque auxilium recusaret<sup>18)</sup>. Quid?

<sup>16)</sup> Non opus esse videtur afferre exempla, quae fere sunt innumerabilia: praesertim quum de Ti. Gracchi intercessione jam plus semel dictum sit. Lenissimum autem genus intercessionis erat, cum quis ex collegio tribunorum noctem sibi ad deliberandum postulabat. Cic. pro Sext. 34: *Surrexit, ut scitis, Atilius hic Gavianus: nec ausus est, cum esset entus, intercedere; noctem sibi ad deliberandum postulavit. Clamor senatus, querelae, preces, socer ad pedes abjectus. Ille se affirmare postero die moram nullam esse facturum.* — Hoc factum est Cal. Jan. 57. Calendis vero Octobribus idem tribunus, cum in sententiam Marcellini, consulis designati, S. consultum faciendum plerique senatorum censuissent, intercedebat: sed percussus firmitate senatus, iterum noctem tantum ad deliberandum sibi postulavit. Cf. hac de re Drumann, Gesch. Roms II, 289 not. 98. et I, 238.

<sup>17)</sup> Cic. p. leg. Man. 20. Vellej. Patere. II, 32.

<sup>18)</sup> Ti. Gracchum Octavii collegae intercessioni non paruisse, nemo est, qui nesciat. — Praeterea unius tribuni intercessio contemnitur Liv. XLIII, 16: *Appellati a privato tribuni.* Cum

quod ne violata lex quidem, si unus tribunus repulsus esset, ita graviter ulciscenda videbatur; tum praesertim, cum in comitiis tributis, solutis tamquam libidinum vinculis, popularis lex tumultuosius rogabatur. Sed quid opus est plura? Jam satis poterit intelligi, quibus potissimum rationibus ii, qui auxilio tribunicio indigebant, adduci soliti sint, ut, si fieri posset, aut omnes tribunos aut majorem eorum partem in suam traherent sententiam. Nec debet mirari quisquam, cur auctores veteres interdum ita scripserint, quasi, cum tribuni pl. inter se dissiderent, non tam intercessione, quam majore suffragiorum numero res dijudicata esset. Sic, ut uno exemplo utar, Dionysius (IX, 41.) de lege a Publilio Volerone tribuno promulgata dicit: ἦσαν ἐκ τῶν τετραρῶν λοιπῶν δημόρων οἱ συνεισφέροντες αὐτῷ δύο δήμαρχοι τὸν νόμον οἷς προσεταιρισάμενος, ἐλαπιόντων ὄντων τῶν μὴ ταῦτα βουλευμένων, περιῆν (Volerone). Unde licet colligendum esse videatur, duobus iis tribunis, qui a Volerone dissentiebant, tanquam majore collegarum numero victis, nihil jam potestatis relictum esse; tamen ego persuasum habeo, ut omnes eos, a quibus major staret pars tribunorum, ita et ipsum Volerone nihil nisi majorem boni exoptatique eventus

*praeter Rutilium nemo intercederet, Censores ad pignora capienda miserunt, multamque pro concione privato dixerunt.* — Id vero indignissime passus tribunus, Ti. Gracchi censoris primum bona consecravit, quod in multa pignoribusque ejus, qui tribunal appellasset, intercessioni non parendo, se in ordinem cogisset; C. Claudio, alteri censori, diem dixit eet. cet. — Intercessioni unius Serrani vix parat Senatus, Cic. ad Attic. IV, 2. atque memoratu digna videntur, quae Cicero scribit ad div. X, 12, 9: *Venit paratus Servilius* (cujus rogatu Titius tribunus pridie intercesserat). *Hunc quemadmodum fregerim, quantaque contentione Titium intercessorem abjecerim, ex aliorum te litteris malo cognoscere.* — Neque ita rarum fuit, ut consensu populi Romani aut unius aut complurium tribunorum intercessio irrita fieret; quin A. Virginius et Q. Pamponius tribuni pl. (c. 390 a. Ch.), ut magistratu abierunt, denis millibus gravis aeris (pessimo exemplo, ut Liv. ait) condemnati sunt, quod, gratificantes patribus, rogationi tribuniciae intercessissent. Liv. V, 29. — „P. Cornelio Scipioni, cui post Africano fuit cognomen, petenti aedilitatem cum obsisterent tribuni pl., negantes rationem ejus habendam esse, quod nondum ad petendum legitima aetas esset: *Si me, inquit, omnes Quirites aedilem facere volunt, satis annorum habeo.* Tanto inde favore ad suffragium ferendum in tribus discursum est, ut tribuni repente incepto destiterint.“ Liv. XXV, 2. — Licinius et Sextius, cum jam saepe collegarum intercessionibus cessissent, tandem adversus intercessionem tribus in suffragia vocant, nam: *quanto jure potentior intercessio erat, tantum vincebatur favore legum ipsarum latorumque.* Liv. VI, 38. — Horatio Consuli triumphus negatus erat a senatu — Jactata res ad populum est, vocatusque eo consul — dixit, se quoque laturum fuisse ad populum, ni sciret, mancipia nobilium tribunos plebis legem impedituros: *voluntatem sibi ac favorem consentientis populi pro omnibus jussis esse, ac futura. Posterogue die auxilio tribunorum plebis trium, adversus intercessionem septem tribunorum et consensum senatus, celebrante populo diem, triumphavit.* Liv. X, 37. Quem locum quod Beckerus (II, 278.) magnas dubitationes habere scripsit, non recte fecit. Est enim res simplicissima: contra vim universi populi non valuit intercessio! Qui cum Beckero illud mirantur, eos eorum admoneo, quae de lege Gabinia praeclare enarravit Drumann. Röm. Gesch. IV., pag. 405—406. Huic enim legi ut posset resisti, omnes novem Gabinii tribuni collegae ad intercessionem comparati erant, inter quos L. Roscius Otho et L. Trebellius in primis audaces et constantes esse videbantur. Sed audi ipsum Drumannum: — Nur die Tribune konnten helfen, und in der That versuchte Trebellius durch seinen Einspruch die Abstimmung zu verhindern; Bitten und Drohungen waren vergeblich; selbst nach dem Antrage des Gabinus, ihn abzusetzen, blieb er fest; als aber siebzehn Tribune ihn verurtheilt hatten, und sein Schicksal nur noch von der achtzehnten abhing, legte er sich zum Ziel. Roscius schien auch jetzt noch wenigstens — reden zu wollen; er erhob zwei Finger; da erbehte der Markt von einem so furchtbaren Geschrei, dass ein Rabe betäubt zur Erde fiel. — Lex accepta est, et quum sancitum esset, ut unius tribuni intercessio adversus omnes satis esset, acciderat, ut ne novem quidem tribunorum adversus unum intercessio rata haberetur. —

spem habuisse: quippe quum adversarii, quamvis legitima intercedendi potestas non modo sublata, sed ne imminuta quidem esset, potentiam tamen suam viriumque fiduciam adeo fractam sentirent, ut intercedere et saepius intercedere aut cunctarentur aut vererentur. — Fuit quidem nonnumquam, ut ipse senatus populusque Romanus rebus quibusdam levioribus cognitionem et decretum majoris partis tribunorum praetenderent; id vero nunquam factum est, ut intercessionem effugerent, sed ut, quum de intercessione omnino non cogitaretur, in auctoritate tribunorum istae res niterentur. Quo in genere est illa controversia, quae Cn. Flavio, aedili curuli, (qui idem civile jus, quod vocatur, Flavianum, *repositum in penetralibus pontificum*, evulgasse dicitur) cum nobilibus fuit (Liv. IX, 46). Flavius aedem Concordiae dedicavit; Cornelius Barbatas, pontifex maximus, more majorum negavit, nisi consullem aut imperatorem, posse templum dedicare. *Itaque ex auctoritate senatus latum ad populum est, ne quis templum aramve injussu senatus aut tribunorum plebei partis majoris dedicaret.* Nescio, num quis unquam jussu tribunorum pl. templum dedicaverit; sed si cui major pars tribunorum, data occasione, dedicationem demandasset, ceteris tribunis, majorem partem non secutis, nihil obstitisset, quo minus, si ita placuisset, intercederent. — Aliquanto plus delectationis habent, quae de fabulosis Numae Pompilii libris et Livius (XL, 29) et Plinius (Hist. N. XIII, 13) memoriae prodiderunt. Qui libri in agro L. Petillii scribae inventi esse dicebantur; neque non est verisimile, eos a talibus viris, qui clandestinam ac perversam optimatum scientiam odissent, conscriptos et cum titulo tam clari nominis suppositos fuisse, ad detegendas pontificum superstitiones fraudesque. At Q. Petillius, praetor urbanus, quum, *lectis rerum summis*, facile, quae ejus erat sapientia, animadvertisset, *pleraque dissolvendarum religionum esse*, eos libros legi servarique non oportere, sed primo quoque tempore in ignem conjiciendos esse confirmavit. In igne enim jam illa aetate eam vim inesse cognitum est, quae a perniciosis hominum vere sapientium commentis Romam liberare posset. Interim L. Petillius scriba, ut libros igni eriperet, tribunos pl. appellavit; ex tribunis vero nemo intercedere ausus est, sed totum collegium ad senatum rem rejecit. Tum senatus, magnopere laetatus, quod tribuni cum religionem defendissent, tum auctoritati dignitatique senatus consulissent, tamquam ut par pari referret, censuit: libros cremandos quidem esse; sed pretium pro libris, quantum Q. Petillio praetori *majorique parti tribunorum plebis videretur, domino esse solvendum.* Quod etsi scriba non accepit, res tamen, cum nemo esset, qui auxiliaretur, dijudicata erat. —

Sed haec hactenus. Dabitur mihi forsitan, ut, interjecto non ita longo temporis spatio, iterum ad tribunos plebis revertar. —

**C. L. Bender.**

## Bericht

über

# das altstädtische Gymnasium

von Ostern 1849 bis Ostern 1850.

### Erster Abschnitt.

### Allgemeine Lehrerverfassung.

1. Der Lectionsplan hat in dem verflossenen Schuljahre keine wesentliche Aenderung erfahren. Die Erfüllung der im vorjährigen Berichte ausgesprochenen Hoffnung, die eingeleitete Reform des höheren Unterrichtswesens werde einen wohlthätigen Einfluss auf Lehrplan und Zahl der Unterrichtsstunden auszuüben nicht unterlassen, ist nach den inzwischen bekannt gemachten Protokollen der allgemeinen Lehrerconferenz grossentheils sehr zweifelhaft geworden. Verminderung der Zahl der Unterrichtsstunden ist darnach gar nicht zu erwarten, und die beabsichtigten Veränderungen des Lehrplans (u. A. obligatorischer Unterricht im Französischen von Quinta ab und Ausschliessung des Griechischen aus Quarta) werden den Gymnasien als solchen wahrlich nicht förderlich sein;

2. Auch im verflossenen Jahre haben den Privatstunden im Englischen unter der Leitung des Herrn Dr. Seemann 22 Primaner und 16 Secundaner mit Interesse beigewohnt.

3. An dem Turnunterrichte haben im verflossenen Winterhalbjahre nur 32 Schüler des Altstädt. Gymnasiums Theil genommen, und auch im Sommer v. J. war die Zahl der Turner im Verhältniss zur Schülerzahl des Gymn. durchaus nicht befriedigend.



## Vertheilung der Stunden unter die Lehrer, wie sie gegenwärtig besteht.

Lehrer.	I. a.	I. α.	II.	III. a.	III. b.	IV. a. b.	V.	VI.	Sa.
<b>1. Dr. Ellendt,</b> Direktor. Ordinarius von VI.	6 Griech. 2 Religion	2 Lat. D.	6 Griech.					4 Deutsch	20
<b>2. Dr. Legiehn,</b> Prof. emeritus.	2 Hebr.	2 Hebr.	2 Hebr.						4
<b>3. Müttrich,</b> Prof. und 2ter Oberlehrer. Ordinarius von I. a.	4 Math. 2 Phys.	4 Math. 2 Phys.	4 Math. 1 Phys.					3 Geogr. u. Gesch.	20
<b>4. Dr. Gryzewski,</b> 3ter Oberlehrer. Ordinarius von V.	6 Latein				2 Lat. D. *)		9 Lat. **)		17
<b>5. Fatscheck,</b> 4ter Oberlehrer.	3 Deutsch u. Philos.	3 Deutsch u. Philos.	2 Franz.	2 Franz. 3 Lat. D.	2 Franz.			2 Deutsch Lesen	17
<b>6. Dr. Nitka,</b> 5ter Oberlehrer. Ordinarius von III. a.		6 Griech.		6 Griech.	7 Lat. Pr. u. Gr.	5 Grch. ***)			24
<b>7. Dr. Möller,</b> 6ter ord. Lehrer. Ordinarius von IV.		3 Gesch. u. Geogr.		3 Gesch. u. Geogr.		9 Latein 3 Gesch. Geo. 3 Deutsch	3 Gesch. u. Geogr.		24
<b>8. Dr. Bender,</b> 7ter ord. Lehrer. Ordinarius von I. α.	3 Gesch. u. Geogr. 2 Franz.	6 Latein	3 Gesch. u. Geogr.		3 Gesch. 3 Deutsch				20
<b>9. Schumann,</b> 8ter ord. Lehrer. Ordinarius von III. b.				4 Math. 2 Physik	4 Math. 2 Naturk.	4 Math. 2 Naturk.	4 Rechnen 2 Naturk.		24
<b>10. Dr. Kraß,</b> Adjunct d. Prof. Legiehn. Ordinarius von II.	2 Lat. D.	2 Franz. 2 Religion	7 Latein 2 Religion	3 Deutsch 2 Religion	2 Religion	2 Religion			24
<b>11. Dr. Richter,</b> Schulamts-Candidat.			3 Deutsch 2 Lat. D.					8 Latein	13
<b>12. Retzlaff,</b> Schulamts-Candidat.				6 Latein	6 Griech.				12
<b>13. Bork,</b> Cand. d. Philologie.							5 Deutsch 2 Religion	2 Religion	9
<b>14. Rosatis,</b> Elementarlehrer.							2 Singen	4 Rechnen 1 Singen	7
<b>15. Naumann,</b> Schreiblehrer.							3 Schreiben	3 Schreiben	6
<b>16. Stobbe,</b> Maler.				2 Zeichnen	2 Zeichnen	2 Zeichnen	2 Zeichnen	2 Zeichnen	8
<b>17. Sobolewski,</b> Gantor u. Musikdirektor.			2 Singen			1 Singen			3

| 252

\*) An Herrn Dr. Ziegler übertragen.

\*\*) Zwei Stunden davon waren zu Repetitionen und Correctur der Exercitien dem Herrn Dr. Ziegler anvertraut.

\*\*\*) In der ersten Abtheilung von IV. durch Herrn Sch.-A.-C. Dr. Wyszomiersky, in der zweiten durch Herrn Sch.-A.-C. Becker vertreten.

**Uebersicht des Lehrplans während des verflossenen Schuljahres.**

Fächer.	Classen und wöchentliche Stunden.								
	I. a.	I. a.	II.	III. a.	III. b.	IV. a. b.	V.	VI.	Sa.
1. Religionslehre . . . . .	2	2	2	2	2	2	2	2	16
2. Lateinische Sprache . . . . .	8	9	9	9	9	9	9	8	70
3. Griechische Sprache . . . . .	6	6	6	6	6	5 a. b.	—	—	35
4. Hebräische Sprache . . . . .	2	2	2	—	—	—	—	—	6
5. Deutsche Sprache . . . . .	2	2	3	3	3	3	5	6	27
6. Französische Sprache . . . . .	2	2	2	2	2	—	—	—	10
7. Philosophische Propädeutik . . . . .	1	1	—	—	—	—	—	—	2
8. Mathematik und Rechnen . . . . .	4	4	4	4	4	4	4	4	32
9. Geschichte und Geographie . . . . .	3	3	3	3	3	3	3	3	24
10. Naturkunde . . . . .	2	2	1	2	2	2	2	—	13
11. Schreiben . . . . .	—	—	—	—	—	—	3	3	6
12. Zeichnen . . . . .	—	—	—	2	2	2	2	2	10
13. Singen . . . . .	2	2	2	1	2	2	2	1	14
Summa	34	35	34	34	35	32	32	29	264
Durch Combination gehen ab:									12

Wurden wirklich gegeben 252

**Zweiter Abschnitt.**

**Verordnungen der hohen Behörden.**

1. Schullocale sollen zu Versammlungen, welche Schulzwecken fern liegen, nicht hergegeben werden. K. P. S. C. 16. Mai 1849. Das Patronat der Anstalt erlässt eine ähnliche Verfügung. 28. Juli 1849.

2. Circularverfügung des Königl. Minist. d. g. u. M. A., das Verhältniss der Lehrer zum Staate und zur Schule betreffend, mitgetheilt durch das K. P. S. C. 11. Septbr. 1849.

3. Es sollen auch ferner die durch Verfügung vom 14. April 1845 angeordneten Disciplinarberichte eingesandt werden. Verf. d. K. P. S. C. 6. Febr. 1850.

**Dritter Abschnitt.**

**Chronik des Gymnasii.**

I. *Persönliches*: Seit dem Erscheinen des letzten Pogrammes sind folgende Veränderungen im Lehrercollegio vorgekommen:

1. Um Ostern v. J. trat der Schulamtsandidat Herr Diestel aus seinem Verhältniss zur Anstalt, um eine Hilfslehrerstelle an dem Königl. Gymnasium in Tilsit zu übernehmen. Sein reger Pflichteifer, so wie sein ernstes und doch stets liebevolles Verhalten zu den Schülern haben schöne Früchte getragen, und die

Anstalt konnte es nur bedauern, dass ihr nicht genügende Mittel zu Gebote standen, eine so tüchtige Lehrkraft sich zu erhalten.

2. Zu derselben Zeit verliess die Anstalt der Schulamts-candidat Herr Dr. Altroggen. Schon lange kränkelnd hoffte er im Sommer durch eine Brunnenkur und längeren Landaufenthalt seine sehr gesunkenen Kräfte wiederzugewinnen. Doch eine höhere Hand hatte es anders beschlossen. Ein unheilbares Herzübel zerstörte mehr und mehr die Lebenskraft des einst so rüstigen Körpers und liess den unendlich Leidenden nur im Tode Ruhe finden, der von ihm innig herbeigesehnt am 2. September 1849 ihn aus diesem Leben abrief. Die Schule verlor an ihm einen gründlich gebildeten Philologen und durch nicht gewöhnliche Lehrgaben ausgezeichneten Lehrer, der Verfasser dieses Berichts einen ihm stets in Liebe treu ergebenden Schüler und Freund.

2. Während des Sommerhalbjahrs wurde Herr Oberlehrer Dr. Gryczewski, der einen halbjährlichen Urlaub zur Wiederherstellung seiner zerrütteten Gesundheit nachgesucht und erhalten hatte, durch die Herren Dr. Richter und Dr. Ziegler vertreten. Die Kosten der Vertretung wurden von dem Patronat der Anstalt freundlichst bewilligt.

4. Zu Michaelis v. J. gab der Senior des Lehrercollegiums, Herr Professor Dr. Legiehn, seine bisherige Wirksamkeit am Gymnasio zum grösseren Theile auf. Die Anstalt hatte am 20. September 1848 sein funfzigjähriges Dienstjubiläum gefeiert (s. d. vorj. Progr. S. 26. f.). So war dem würdigen Greise der Wunsch wohl zu gönnen, seine noch übrigen Lebenstage in ungestörter Ruhe zu geniessen. Der Wohlthöbliche Magistrat, als Patron der Anstalt, kam diesem Wunsche um so eher freundlich entgegen, als die städtischen Geldmittel nicht wesentlich dabei in Anspruch genommen wurden. Herr Professor Legiehn wurde aus seinem bisherigen Gehalte als Emeritus besoldet und erklärte sich gern bereit, als Ehrenmitglied des Lehrercollegii den hebräischen Unterricht auf den beiden obersten Classen und die Verwaltung der Gymnasial-Casse noch fernerhin fortzuführen.

Als Adjunct des Emeritus wurde der Schulamts-Candidat Herr Dr. Krah von dem städtischen Patronat berufen. Derselbe trat sein Amt am 14. October v. J. an. Der Verfasser dieses Berichts freut sich, dass es so gelungen ist, der Anstalt einen Mann zu erhalten, welcher derselben seit länger als drei Jahren mit einer seltenen Uneigennützigkeit seine Kräfte gewidmet hatte.

5. Seit Ostern v. J. unterrichteten ausser den schon oben genannten Herren Dr. Richter und Dr. Ziegler noch der Schulamts-candidat Herr Retzlaff und die Candidaten der Philologie Bork und Brandt; seit Michaelis v. J. auch die Schulamts-candidaten Herren Dr. Wyszomierski und Becker behufs Abhaltung des gesetzlichen Probejahrs.

Der Schulamts-candidat Herr Dr. Ruffmann und der Candidat der Philologie Herr Brandt schieden zu Michaelis aus ihrem bisherigen Verhältnisse zur Anstalt; der letztere um ungestörter seinen Vorstudien zur Schulamtsprüfung sich widmen zu können.

II. *Verschiedenes.* Das Sommerhalbjahr 1849 wurde am 16. April begonnen und am 6. October geschlossen. Das Winterhalbjahr 18 $\frac{4}{5}$  begann am 16. October und endet mit dem 26. März 1850.

Die Abiturientenprüfungen wurden unter dem Vorsitze des Schulraths Herrn Giesebrecht am 19. September 1849 und am 2. und 4. März 1850 gehalten.

Noch muss hier mit besonderem Dank erwähnt werden, dass der Maler und Zeichenlehrer Herr Stobbe dem Altstädtischen Gymnasio ein von ihm in Oel gemaltes Bild des verstorbenen Director Dr. Struve geschenkt und das schon früher dem Gymnasio angehörende Bild des Director Hamann renovirt hat. Beide Bilder schmücken seit dem Sommer v. J. die Aula des Gymnasii.

#### Vierter Abschnitt.

### Statistische Nachrichten.

#### A. Lehrercollegium.

S. den ersten Abschnitt der Schulnachrichten.

#### B. Schülerzahl.

Am Schlusse des Winterhalbjahrs 18 $\frac{4}{5}$  (s. das vorjährige Programm) wurde das Gymnasium von 322 Schülern besucht. Vor dem Schlusse des Sommerhalbjahrs 1849 waren im Gymnasio 330 Schüler. Gegenwärtig (d. 15. März) besuchen die Anstalt 345 Schüler. Davon sind in I. a.: 29; in I. a.: 25; in II.: 54; in III. a.: 49; in III. b.: 42; in IV.: 58; in V.: 45; in VI.: 43.

Abgegangen sind im verflossenen Schuljahre:

I. a. Auf die Universität mit dem Zeugniss der Reife zu Ostern 1849:

1. Friedrich Burdach, 18 $\frac{3}{4}$  J. alt (stud. Medicin).
2. Wilhelm Krause, 17 J. alt (stud. Medicin).
3. Achilles Linden, 18 $\frac{1}{2}$  J. alt (stud. Jura).
4. Theodor Link, 17 $\frac{1}{2}$  J. alt (stud. Theologie).
5. Felix v. Madeweiss, 18 $\frac{3}{4}$  J. alt (stud. Jura).
6. Hermann Posseldt, 19 J. alt (stud. Theologie).
7. Friedrich August Rohmann, 20 $\frac{1}{4}$  J. alt (stud. Jura).
8. Ulrich v. Rosenberg, 21 $\frac{3}{4}$  J. alt (stud. Cameralia).
9. Otto Stobbe, 17 $\frac{3}{4}$  J. alt (stud. Jura).

I. b. zu Michaelis 1849:

1. Hugo Friedrich Richard Marcus, 19 $\frac{1}{4}$  J. alt (stud. Theologie).
2. Heinrich Louis Adalbert Montzka, 20 $\frac{1}{2}$  J. alt (stud. Theologie).
3. Jacob Ohm, 20 J. alt (stud. Jura).
4. Carl Heinrich Friedrich Schröder, 21 $\frac{1}{2}$  J. alt (stud. Theologie).
5. Gustav v. Wittke, 18 $\frac{3}{4}$  J. alt (stud. Jura und Cameralia).

## II. Zu andern Berufsarten oder auf andere Schulen:

Aus Prima:	6
„ Secunda:	12
„ Tertia a:	7
„ Tertia b:	6
„ Quarta:	9
„ Quinta:	5
„ Sexta:	2

47

Zu Ostern d. J. verlassen 11 Zöglinge die Anstalt mit dem Zeugniß der Reife, um zur Universität überzugehen. Zwei andere, durch Krankheit behindert an der auf den 2. und 4. März festgesetzten Abgangsprüfung Theil zu nehmen, werden am 8. April geprüft werden.

Aufgenommen wurden zu und nach Ostern: 47

Zu und nach Michaelis: 37

Summa 84.

Von den 345 Schülern, welche jetzt das Gymnasium besuchen, sind 239 Einheimische und 106 Auswärtige.

## C. Lehrmittel.

I. Auch in diesem Jahre sind die Gymnasial- und die Schülerbibliothek theils aus den gebotenen Geldmitteln, theils durch die aus dem Leseverein ihnen zugegangenen Bücher wesentlich vermehrt worden.

II. Die Zahl der Mitglieder des historisch-literarischen Lesevereins hat auch im verflossenen Schuljahre abgenommen. Es hat demnach leider auch der Ankauf von Werken aus dem Gebiete der Geographie, Geschichte und deutschen Literatur mehr beschränkt werden müssen. Der geringe Beitrag von zwei Thaler jährlich dürfte wohl Niemanden abhalten, sich mit den wichtigsten Erscheinungen auf den genannten Gebieten der neueren Literatur bekannt zu machen. Es ergeht deshalb die Bitte namentlich an die geehrten Eltern unserer Schüler, dem Vereine beizutreten und so zur Erhaltung eines wichtigen Instituts freundlichst mitzuwirken.

III. Der physikalische Apparat und die naturhistorischen Sammlungen haben auch in dem verflossenen Schuljahre einen Zuwachs erhalten.

## D. Unterstützungsfond für hilfsbedürftige Gymnasiasten.

Einnahme des verflossenen Schuljahrs:

### I. Aus Beiträgen von Schülern der Anstalt:

1. aus Sexta (10 Beitr.) . . .	6 Thlr.	21 Sgr.	
2. aus Quinta (8 Beitr.) . . .	9	5	„
3. aus Quarta (10 Beitr.) . . .	16	15	6 Pf.
4. aus Tertia b. (15 Beitr.) . . .	28	—	„
5. aus Tertia a. (30 Beitr.) . . .	31	22	6
6. aus Secunda (19 Beitr.) . . .	17	28	—
7. aus Prima a. (3 Beitr.) . . .	6	25	—
8. aus Prima a. (10 Beitr.) . . .	12	15	—
	129	12	—

II. Aus einer Sammlung vom 18. Februar d. J. in Secunda und Quarta	6 Thlr. 15 Sgr. — Pf.
III. Zinsen von Capitalien	17 „ 7 „ 6 „
Bestand von 184 <sup>8</sup> / <sub>9</sub>	153 „ 4 „ 6 „
Summa der Einnahme	240 „ 13 „ 2 „
Ausgabe des verflossenen Schuljahrs:	
I. An Unterstützungen etc.	82 „ 2 „ 9 „
II. Für zinstragende Papiere	42 „ 27 „ 8 „
Summa der Ausgabe	125 „ — „ 5 „
Es bleibt als Bestand	115 „ 12 „ 9 „

Von dieser Summe ist ein Theil in die Sparkasse niedergelegt, ein anderer soll zur Anschaffung von Schulbüchern u. a. verwandt werden. Den edlen Gebern, welche so bedeutende Mittel zur Unterstützung tüchtiger, aber armer Schüler in Gegenwart und Zukunft geschaffen haben, sagt der Verfasser dieses Berichts den herzlichsten Dank!

Das nächste Schuljahr beginnt Montag den 8. April Morgens 7 Uhr. Die Prüfung und Aufnahme der Schüler, welche in das Gymnasium neu eintreten sollen, findet in den Vormittagsstunden der Ferienwoche nach den Osterfeiertagen statt.

**Ellendt.**

III. Der physikalische Apparat und die naturhistorischen Sammlungen haben auch in dem verflossenen Schuljahre einen Zuwachs erhalten.

D. Unterrichtsgegenstände für die hiesige Gymnasialklasse.

Einnahme des verflossenen Schuljahrs:

I. Aus Beiträgen von Schülern der Anstalt:	1. aus Secunda (10 Beitr.)	6 Thlr. 21 Sgr.
	2. aus Prima (10 Beitr.)	5 „ 12 „
	3. aus Quarta (10 Beitr.)	18 „ 18 „
	4. aus Tertia b. (15 Beitr.)	28 „ — „
	5. aus Tertia a. (20 Beitr.)	41 „ — „
	6. aus Secunda (10 Beitr.)	17 „ — „
	7. aus Prima a. (13 Beitr.)	28 „ — „
	8. aus Prima b. (10 Beitr.)	18 „ — „
		139 „ 12 „